

2149

A S C E T I C I.

2150

se inutile, quod quidam tractatus de non remanentia &c. Ad Stanislauum de Znoyma pertinet jamin dicatus Cod. alibi.

V. fol. 208. Sermones III. de S. Stephano tributi Augustino. Primus inchoat: *Hesternam die natalem habuimus domini saluatoris &c. et legitur inter Spurios T. V. ed. Maur. append. col. 350. Alter: Jesus filius nave in heremo pugnabat. et moyses orabat &c. habetur inter dubios T. V. col. 1482. Tertius: Fratres karissimi hesternam die celebrauimus temporalem regis nostri natalem &c. non est Augustini, sed Fulgentii Rusp. prostatque edit. Venet. 1742. p. 252. f.*

VI. fol. 212. Prologus beati Bernardi super Omelia Missus est. Initium: *Scribere me aliquid et devotio iubet &c. Sequuntur Homiliae IV. prout extant ed. Maur. 1690. T. III. col. 732. Ad calcem legitur: Finite sunt Omelie Beati Bernardi super euangelio Missus est, die dominico in festo sancti donati et sancte affre, Anno d. M^o CCCC^o primo per iacobum presbiterum in domo crucis institoris in praga. Gloria tibi domine.*

VII. fol. 226. Omelia b. Jo. Crisostomi. In illud: *Cum appropinquasset ihesus Ierosolimam &c. Incipit: Puto res ipsa exigit &c. et est XXXVII. in Caput 21. Matth. in editionibus obvia, non tamen hodie Dominica I. Adv. in usu Ecclesiae, ut in calce Cod. dicitur.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

VIII. fol. 229. Omelia venerabilis Bede de eodem. Initium: *Mediator dei et hominum homo christus ihesus &c. Extat Opp. T. VII. Colon. 1688. pro Dominica Palmar. col. 261. sed in Cod. sine mutila.*

DLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 8²⁶
XV. Folior. 303. 8. currente calamo a diversis conscriptus haec continet: I. tacito Autore Opusculum asceticum de Corde, cujus ingressus: *Si diligenter volumus in lege domini meditari facillime perpendemus septem instructiones in scriptura sacra ad nostram informationem circa cor plane recitari &c. Adductis dein totidem Scripturae effatis promittitur VII. Capitulis agendum: De preparatione cordis. De custodia. De aperitione. De stabilitate. De eleuacione. De dacione. De scissione. Finis ult. Cap. quem in eo et per eum habebunt, ad quem nos perducere dignetur, qui vivit et regnat &c. Extant ejusmodi Tractatus inter Scripta Job. Gersonii et Job. ab Indagine Carthus. a nostro tamen diversi, qui est Gerardi Leodiens. O. P. ut Cod. praeced. dictum et manifestum ex edit. Neap. 4. quae partim annum 1605. partim 1607. praefert, quamvis in Cod. praesenti in ἐπιτομῆν contractus. Tannerus tamen in Bibl. Brit. Hibern. eum Autori tribuit, qui nunc sequitur.*

O o o

II.

II. fol. 34. *Incipit lincomiensis de oculo morali.* Notatur hic *Robertus Grossthead* seu *Groftest* celebris *Lincolniensium* Sec. XIII. in *Anglia* Praeful, cujus Scripta nominatus ante Bibliothecarius p. 346. enumerat, et inter ea nostrum, quod inquit: *Si diligenter volumus in lege domini meditari facile perpendemus ea que pertinent ad visionem et oculum pre ceteris frequentius in sacris eloquiis recitari &c.* Monendus tamen est *Tannerus*, idem Opusculum adscribi *Job. Pithsano* Archiep. *Cantuar.* in editione, quam *Ant. Sorg Aug. Vindel.* a. 1477. *Bonaventurae Speculo Mariae* f. adjunxit. Censeo vero *Pithsanum* corrupte scriptum pro *Peckhamo*, qui cum *de Perspectiva* scripserit, ob adfinitatem materiae pronum fuit, autorum confusionem enasci. C. 8vo. in *Oculis Impudicorum* Librarius noster abruptit.

III. fol. 61. Adversaria quaedam de *Sacramentis* et praecipue de *Baptismo*, manu perdifficili scripta.

IV. fol. 77. Epistola apocrypha *Clementis Rom.* ad *Jacobum Fratrem Domini.* Initium: *Notum tibi facio domine quia Simon Petrus qui vere fidei merito &c.* Interpretatio *Rufini Aquil.* est, prout extat in *J. B. Cotelerii PP. Apostol. Vol. I.* edit. dietae *Antverp.* 1698. p. 611. Vide et *Cod. DCLXII.*

V. fol. 85. absque inscriptione et Autoris nomine *Chronologia Rom. Pontificum*, quae inci-

pit: *A mundi creatione usque diluuium fluxerunt duo Millia CCXLII. A diluuiio usque nemrotb non computantur anni &c.* et sic procedendo devenitur usque *tempora clementis VI. et caroli de boemia &c.* Agitur deinde de *tribus Nationibus*, quae habuerunt sacerdotium, unde fit transitus ad *Octav. Augustum* et *Christi* natales, quorum narrationi intertextus est prolixus locus de *Cardinalibus* desumptus e Praef. *Chronicorum Martini Strepi* dicti *Poloni.* Tandem de *beato petro papa* et sic breviter *Gesta* successorum Pontificum. *Fol. 138. p. 2.* habetur fabula de *Johanna Pappissa*, unde, ut e pluribus aliis manifestum fit, Nostrum in *Martini* vitula arasse, et exemplar hoc commento insigne prae se habuisse. Ast cum ille saltem in electione *Nicolai III.* a. 1277. fistat, Noster usque ad *Innocentium VI.* adeoque a. 1352. progreditur, de quo habet: *Hic papa confirmat festum omnium sanctarum reliquiarum fieri in boemia prima feria VI. post octauam pasche ob rogatum Caroli imperatoris.* Nec plura. Itaque in *Boemia* scriptum hunc Catalogum autumo, quo *Codex* pluribus titulis pertinet.

VI. fol. 181. Dialogus satyricus inter *Ludovicum Imp. Petrum, Christum, Papam, Theologum, Episcopum, Juristam &c.* trito illo artificio e verbis *Scripturae, Juris Can. et Civilis* coagmentatus; directusque praecipue contra *Cleri possessiones* e mente *Job.*

2153

A S C E T I C I

2154

Job. Wiclefi et sequacium. Praemittitur locus *Matth. 15. Induerunt eum purpura, et imposuerunt ei plectentes spineam coronam, tum inquit Imperator: Ego Ludwicus Imperator concedo tibi beato petro et successoribus in perpetuum sicut a predecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate et ditione tenuistis et disposuistis ciuitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis territorijs eius. Prosequitur Petrus contra Ludwicum pendens in cruce ita: Scientes quod non in corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conuersatione &c. Perorant Aduocati curie pape. Ita: Audientes hec dissecabantur cordibus suis &c.*

VII. fol. 189. *Petri Payne* five *Anglici* Defensio Articulorum *Job. Wiclefi* contra *M. Job. Przibram*. Incipit: *Quia nuper in regno boemie inclitissimo unus eiusdem regni filius utinam non degenerans aliquo ductus spiritu ignorantie — nomine Magister Jobannes przibram &c. Wiclefum* mox adpellat *doctorem* indubie *euangelicum*, se vero *christi* et *dominorum boemorum in spe seruorum*. Complures e *Wiclefi* Libris Articulos ut erroneos scripto peculiari notarat *Przibramius* vir doctus et aliquando *Hussi* partibus favens, hos Articulos hic tueri nititur *Paynius* jam a. 1417. *Academiae Pragensi* adlectus. Publica dein a. 1429. inter utrumque instituta Disputatio, de qua utriusque partis sensa refert *Cochlaeus Hist. Hussit. L.*

I. p. 11. et L. VI. p. 232. Confer et *Balbini Bob. doct. P. I. p. 87. Nostri*, quem *Tannerus Bibl. Brit. Hib. p. 582. Petrum Payne, Paganum, Freing, Inglys* s. *Anglicum, Clerk* s. *Clericum* nominat, Scripta rarissime occurrunt. Istud, quod prae oculis habemus, ignorat *Tannerus*, qui ceterum Autori sequens testimonium minus honorificum adfert: *Iste Petrus furatus fuit sigillum commune Universitatis Oxon. sub quo scripsit haereticis Pragensibus, quod Oxonia et tota Anglia sit fidei Pragensium, exceptis falsis fratribus Mendicantibus, addicta.*

VIII. fol. 225. Incipit tractatus de corpore christi. Initium: *Sepe confessus sum et adhuc confiteor quod idem corpus christi &c.* Autor patet e calce: *Explicit tractatus de corpore christi quem M. Jo. Wy. compilauit. 1433.* Non facile in ἀποργαφῶς boemicis *Wiclefi* nomen integrum scriptum est, frequenter tantum per *Doctorem Euangelicum ἀνοτομασῶς* repraesentatur. Ut alibi.

IX. fol. 234. p. 2. *Questiones ad fratres eiusdem duae de sacramento altaris. Item Decem necessaria ad perfectionem hominis. Brevissima.*

X. fol. 236. p. 2. *Secuntur XXXIII. conclusiones M. Jo. Wy. Cum suis utique Deductionibus. Initium C. I. Christus deus noster caput uniuersalis ecclesie fuit pro tempore huius peregrinationis homo pauper &c. Et ad cal-*

O o o 2

cem:

2155

CODICES

2156

cem: *Finis 33. conclusionum Evangelici doctoris M. Jo. Wi. 1433. in festo pauli.* E variis *Wiclefi* libris *Conclusiones* haec lectae videntur, et fortassis a *Petro Paynio*.

XI. fol. 262. p. 2. *Incipit Speculum Dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat, quo plus plane cognoscitur &c.* Ad calcem: *Explicit speculum secularium dominorum secundum evangelicum doctorem finitum 2^a feria, Et eodem dominico die anno 1433. Iopatham (Arcem Prov. Prachinensis alias Hus dictam Taboritae, ut putem) invaserunt. Adi Tanneri Bibl. Brit. Hibern. ubi fecundissimi calami Wiclefiani partus enumerantur, et Indicem nostrum.*

XII. fol. 270. *Adversaria duplicia de Methodo Praedicandi verbum Dei, quorum priora abrupta incipiunt: Ut simplices sacerdotes Zelo animarum succensi habeant materiam predicandi &c.* Altera vero prolixiora: *Ad inveniendum diuersas vias predicandi Nota breuiter tria tempora &c.*

XIII. fol. 302. *In translacione ludmille.* Fragmentum Sermone vel Lectionis, quod incipit: *Santa ludmilla. matrona bohemorum. secundum cantum ecclesie. turtur &c.*

DLXVI.

833 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 147. 8. priore sui parte eleganter exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum*

Cruciferorum in Dusseldorp, haec complectitur: I. praeunte Capp. XVIII. elencho *Incipiunt aliqua verba aurea sancti Egidij. De gratia Capittulum primum.* Ejus initium: *Gracia dei et virtutes sunt scala et via ascendendi in celum &c.* Per decursum narrantur plura F. *Aegidii Senfa et Αποφθεγματα*; ita C. 15. *Videbatur fratri egidio quod male fecerunt Prelati ordinis minorum eo quod non procurassent pro viribus cum domino papa non obtentu vane glorie. sed contemplacione honoris diuini duntaxat et edificatione proximorum canonizationem fratrum minorum martirum qui propter gloriosam confessionem fidei fuerunt apud marabotum (Marochium) interfecti &c.* Unde liquet haec non ab ipso *Aegidio Assisiate* tertio B. *Francisci* discipulo, Viro pio et simplici, sed ab alio excepta referri. Quare miror *Waddingum* in *Bibl. O. M.* p. 5. de *Aegidio* scribente, ejusque *Opusculis* loqui, cum tamen nil nisi Titulos Collectionis praesentis recitet. Obiit *Aegidius* a. 1262. Vide *Acta SS.* ad 23. April. T. III. p. 218. *Aurea Verba* nostra excusa sunt *Antverp.* 1534. 8.

II. fol. 33. p. 2. *Incipiunt X omelie eusebij episcopi.* Ad calcem additur: *emisseni ad religiosos valde edificative.* Initium primae: *Exhortatur nos sermo diuinus vt curramus &c.* Finis ultimae: *premierum gaudia sine fine durarent.* De his *Homiliis* dictum ad *Cod. CCII.*

III.